



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

Fierlant, Simon de

Coloniæ Agrippinæ

§. 4. Vertitur in Linguam Gallicam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37059

30 TRIUM-VIRORUM VANA
adeò ad examen traxi, & priori meo libello Catholice
castigavi; & quam felici successu, in ipso jam limine te
Lector monui.

§. 4.

*VERTITVR IN LINGVAM
GALLICAM.*

Obstrepebant, scio, Libellis nostris triumphales
acclamations Bajo-Jansenistarum; imo quam ad
inconditos clamores soli ipsi non sufficerent, in subsi-
dium nisi mulierculas turpiter advocare placuisset Gabrië-
liano instinctui. In harum gratiam, nescio quis, ipse forte
Auctor, certè aliquis Bajo-Jansenista secundam hanc &
Romanam Editionem Gallico donavit idiomatè; ut
patrio loquens sermone liber à pluribus avidius legere-
tur, tantoque periculosius tanto virus spargeretur, quanto
incautiores manus ac molliores subiret; quamquam jam
callum molliusculæ illæ manus obduxisse videri poterant,
ut quæ testamento Montensi toties damnato jam dudum
sine scrupulo assueverant.

Profecto, si hic Jocari mihi luberet, ad Poëticas fabulas
diverterem & librum hunc malè ominatum temulento
Deo libero compararem; & habet certè id cum Bac-
cho commune, quod bis uterque genitus, medio semiustu-
latus ex fulmine, uterque sit raptus; nec deesse possent
hic Bacchides, ubi tot mulierculæ libro Gabriëlano quasi
thyro

ET INFELIX CONCORDIA. 31

thyro armatae toto passim Belgio insanire, & orgia celebrare visae sunt; at res seria nimis ac luctuosa est, quam ut jocos patiatur; & jam dudum defleverunt boni omnes perditam istiusmodi hominum consuetudinem, qua fœmineo sexui nimium familiares plures fere discipulas, quam discipulos numerent, quas, quæ voce, quæ libris, incautas misereque deceptas damnato Bajanismo & Jansenismo spiritu periculosè imbuant. Sunt qui illud commercium, ista cum mulierculis conventicula, & subtilem nimium de abstrusissimis Theologiae mysteriis cum iis collocutiones suspectas habeant, &, ut timidæ sunt piæ conscientiæ, aliquando vereri incipient, ne dum multa de gratia victrice potenter alliciente, & suaviter necessitante disputant, media interveniat concupiscentia victrix: proh! quid tunc remedii à Janseniano hoc Magistro exspectes? cuius hoc primum pronunciatum est *resisti concupiscentiæ victrici non potest, parere necesse est.* Hoc alii; volo ego honestiora cogitare, & ita interpretabor, Magistros novatuentes imbecilliora, & quæ facilius fallantur, cerebella eligere, in quæ virulentas suas opiniones citius diffundant: quamquam dum ita honestiores volo, parum abest quin hæreticos faciam: vide quam periculosè navingent, qui satis è Charybdi eripi non possunt, quin ad Scyllam allidantur. Ut ut est, ego ad propositum meum redeo, & libri Gabrielliani historiæ perficio.

§. 5. DE-